





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

He . 21.



12

PALÆSTRA UNDECIMA  
**THEOREMA-**  
**TUM POLITICORUM,**

*Exhibens*

Partem tertiam ac ultimam de  
virtute in genere,

*Quam,*

**Auctore DEO,**

Et permissu

Amplissimæ Philosophicæ Facultatis,

*IN ILLUSTRIS REGIOMONTANA,*

Publico examini sistunt,

*PRÆSES*

**JOHANNES GEORGIUS à Bögen /**

Nobil. Prusus & Philosoph. D.

Et

*RESPONDENS*

**HEINRICUS Meyf**

Ragnitâ Borusf.

*Add. Augusti, locô horisq; consuetis*

*Anno 1673.*

---

REGIOMONTI,

*Typis FRIDERICI REUSNERI.*







## Bonô cum Bonô!

## §. 14.



ctionibus bonis, ut diximus, ac-  
 quiruntur virtutes morales; quando verò  
 actionibus iisdem virtutes acquisitæ ob-  
 tineantur, proximum jam est dispicere.  
 Quando bene agimus, vel dolorem, vel  
 voluptatem, vel neq; dolorem, neq; vo-  
 luptatem capimus. Quando ex actionibus  
 bonis dolorem capimus, nondum in nobis habitus virtutum  
 acquisiti sunt; quando verò ex iisdem voluptatem, aut saltem  
 neq; dolorem neq; voluptatem sentimus, tum habitus virtutū  
 à nobis sunt obtēti. Nam, qui, abstinendo à corporis voluptati-  
 bus, delectatur, is ex habitu temperatiæ agit; qui vero inde mo-  
 lestiam capit, is non agit ex habitu temperantiæ, sed est intem-  
 perans. Qui res molestas & asperas perfert voluptatis sensu, aut  
 neq; doloris, neq; voluptatis sensu, ex habitu fortitudinis agit;  
 qui verò doloris capit sensum ex rebus asperis, is non instru-  
 ctus est habitu fortitudinis, sed est ignavus. *Signum habitus pro-*  
*ducti est vel voluptas, vel aegritudo, que facta sequitur. Nam qui à*  
*corporis voluptatibus abstinet, eoq; ipso gaudet, temperans est; at*  
*qui, cum iis caret, angitur animò, intemperans est existimandus.*  
*Qui item sustinet terribilia, & vel gaudet, vel certe non dolet, for-*  
*tis; qui autem dolet, ignavus est* 1.2. Ethic. c. 3. (2) §. 1. & 2. Dicis,  
 docet tamen Philosophus, *fortem dolere*, quando mortem subit.  
 1.3. Eth. c. 9. Equidem Philosophus quidem docet *fortem dolere*,  
 sed videatur quomodo? Hòc locò talis intelligitur dolor, qui



est præter honestum : nam dolor, quem intemperans, cujus hoc locò Aristoteles mentionem facit, capit ex absentia voluptatum corporearum, est præter honestum. Hinc hoc locò Philosophus dicit de dolore, *quòd eodem ab honestis avocemur.* l. 2. Ethic. c. 3. §. 5. Sed nihil horum de dolore, quem capit fortis ex morte, is est secundum honestatem: nam propterea ob mortem dolet, quia vita verè est dignissimus; qui verò talem percipit dolorem, is non est præter honestatis gustum, videatur Aristot. lib. 3. Ethic. c. 9. §. 8. Deinde ita dolet fortis, ut finis tamen, quem sibi habet præfixum, ei voluptati sit; nam ait Philosophus: *Videri possit, finem fortitudinis esse jucundum &c.* Idq; probat exemplò pugilum, quorum finis jucundus nempe præmia & honores, sed media molesta, videlicet plagæ & verbera &c. lib. 3. Ethic. c. 9. §. 56. Et hoc locò intelligitur voluptas, quæ sequitur actiones bonas ex fine, & dolor, qui sequitur actiones malas ex fine itidem. Hinc docet Philosophus, dicens: *quibus rebus oportet, (seu quòd idem est, quibus rebus dolere honestum est) iis tum letemur, tum doleamus* l. 2. Ethic. c. 3. §. 6.

§. 15. Cum virtus versetur in actionibus sibi consentaneis, necesse est, eandem quoq; versari in doloribus & voluptatibus: nam voluptates & dolores actiones virtutis consequuntur per se, utur per accidens obscurentur, ut in virò forti, prout vid. l. 3. Eth. c. 9. §. 5. quando autè voluptas obscuratur, non tollitur statim: potest aliquid actu primò esse, quod nò est actu 2dò. Quod verò versatur in aliquo, quòd aliud necessariò sequitur, id etiam in eodem versatur: v. gr. Dialectica versatur circa Syllogismum Dialecticum, & quem necessariò sequitur, circa opinionem. Quòd verò dolores & voluptates actiones virtuti consentaneas sequantur, patescit: nam v. gr. qui temperantia præditus est, is abstinendo à corporeis voluptatibus voluptatem



luptatem capit, & permittendo se iisdem, dolorem; qui enim ex uno contrariò voluptatem percipit, is ex altero dolorem. Quò ea spectant, quæ Philosophus habet l. 2. Ethic. c. 1. §. 7. Quò circa Plato, forsan libr. primo *ῥόμων*, ubi de rectâ institutione disputat, ait: *statim à pueris oportet certò modo esse educatos, ut videlicet, quibus rebus oportet, iis tum lætemur, tum doleamus,* citante Arist: l. 2. Ethic. c. 3. §. 6. Paulò antè Aristor: dixerat: *Nam voluptatis illecebris ad turpes actiones invitamur, & doloris aculeis ab honestis avocamur. ibid.* In voluptatibus ac doloribus versari virtutes, indicio sunt punitiones, quæ nihil aliud sunt, quàm illationes dolorum, & privationes voluptatum. Eò verò dolores vitiosis inferuntur, & privationes voluptatum, quò vitiosi, non in exercendis vitiosis actionibus, sed virtutis, caperent voluptatem; & dolorem, non in virtutis actionibus, sed vitiosis: Nam punitiones, *medicinæ quædam sunt; at medicinæ natura per contraria fieri solet.* lib. 2. Ethic. c. 3 § 8. & lib. 1. Rhet. c. 11. §. 14 Jam si illationes dolorum, & privationes voluptatum eò directæ sunt, quò in virtutis actionibus voluptatem, & in vitiosis dolorem capimus: evidens est, virtutes in doloribus & voluptatibus versari. Perinde & medicina, quæ eò directæ est, quò sanitas acquiratur vel conservetur, & morbi propellantur, versatur in sanitate & morbis. Porrò ex voluptate & dolore virtus & generatur & corrumpitur: generatur, si animus sequatur voluptatem & molestiam, quomodo oportet; corrumpitur, si pravè. Adeoq; virtus versatur in voluptate & dolore. Dicebāt quidem Socrates & alii, quos Stoici sequebantur post tempora Aristotelis, virtutes quidem dolore & voluptate corrumpi, non v. generari; quia ipsis virtutes erant perturbationū, scil: voluptatis & molestiæ, vacuitates; verùm eosdem repiēdit Ari-



Stoteles lib. 2. Ethic. c. 3. §. 10. & docet, ex iisdem virtutes genera-  
 ri & corrumpi materialiter, non formaliter: hinc dicit, *adden-  
 das esse debitas circumstantias: quando oportet, quomodo oportet,*  
 & c. ibidem §. 11. Neq; hoc argumentum nihil in recessu habet.  
*Tria sunt per se expetenda, honestum, utile & iucundum. Totidemq;*  
*sunt quoq; fugienda, videlicet, turpe, perniciosum, & molestum,*  
 videatur lib. 2. Ethic. c. 3. §. 14. & lib. 1. Rhetor. c. 6. Jam virtus  
 versatur in his expetendis, nempe honestò, utili & iucundò, &  
 fugiendis, nèperurpi, perniciosò & molestò, certò & rectò mo-  
 dò: Proinde Philosophus: *in his omnibus vir bonus rectè facit;*  
*improbis offendit* lib. 2. Ethic. c. 3. §. 14. Quomodo verò versatur  
 virtus in expetendis & fugiendis? Ita, ut expetenda per volupta-  
 tem sequatur, & quæ fugienda, per dolorè aversetur, satis idem  
 testatur Arist: *voluptate & dolore tanquã regulã, actiones nostras*  
*dirigimus.* lib. 2. Ethic. c. 3. §. 18. Jam si virtus versatur in iis, quæ  
 per voluptatem sectanda, & quæ per dolorem fugienda, utiq;  
 versabitur etiam in voluptate & dolore: quia id, quod expeti-  
 tur, & id per quod expeditur, unius habitûs sunt: sic sanitas, &  
 pharmaca, per quæ sanitas expeditur & acquiritur, unius habi-  
 tûs nempe Medicinæ sunt. Magis tamen versatur in voluptate  
 quàm dolore seu irâ: voluptas enim est difficilior adfectus,  
 quia est vitæ nostræ incorporata atq; insita: nam *inde usq; à*  
*teneris educati sumus non sine ullâ voluptate* lib. 2. Ethic. c. 3. §. 17.  
 Dolor quoq; à primis temporibus se exerit, sed non tam fre-  
 quenter, quàm voluptas: nam & ira ipsa, quæ dolor est, nun-  
 quàm est sine voluptate, unde Homerus:

*Ira animusq; viri, qui longè melle fluente*

*Dulcior, ut sumus generosò in pectore gliscit.*

At verò voluptas semper est sine irâ & dolore. Tale verò, quod  
 magis vitæ nostræ insitum est, corrigere, est difficilius. Hinc

Heracli-



Heraclitus: *difficilius est voluptati repugnare, quam ira?* teste Aristot. lib. 2. Ethic. c. 3. §. 21. quanquam Muretus comment. in hunc locum, secus verba Heracliti legenda censet. Cum jam voluptas difficilior adfectio sit, quam dolor, tum utiq; virtus versabitur magis in voluptate, quam dolore seu ira. Nam, ut quidq; *difficilimum est, ita maximè in eo ars & virtus occupata est. Quod in se bonum est, & honestum, id etiam magis tale est, cum magnò labore partum est.* lib. 2. Ethic. c. 3. §. 21. Sic ars fabrilis magis est & perspicitur in lignis asperioribus & incongruentibus coaptandis, quam in aliis, quae facile possunt coaptari. Eustrat. comm. in lib. 2. Eth. c. 3. circa finem.

§. 16. Diximus, eum tandem ex virtutis habitu operari, atq; adeo esse studiosum, quando bene agendo voluptatem percipit: eum esse justum, qui ex justis actionibus; eum fortem & temperantem, qui ex actionibus sibi consentaneis, voluptatem capit. Verùm numne is est justus, qui justa, is fortis, qui fortia exequitur? Nonne is Grammaticus qui Grammaticum opus edit? Respond. quod non. *Fieri enim potest, ut quispiam, aliquid Grammaticum efficiat, vel fortuito vel altero praesente, ac suggerente* lib. 2. Ethic. c. 4. (3) §. 3. Quis verò talem, qui sic aliquid Grammaticum efficit, arte Grammatices praeditum dicet? Is Grammaticus est, qui aliquid Grammaticum efficit, idemq; Grammaticè, id est ex arte Grammatica, quae ipse est praeditus: videat. Arist. ibid. §. 4. Sic igitur distinguimus, qui justa agit, eademq; justè & bene, is est studiosus, seu habitu virtutis praeditus; non verò qui tantum justa & bona. Justus, qui datà propria operà bona & justa agit, is est justus ac studiosus, quemadmodum qui proprio studio Grammatica efficit, neq; fortuito, aut aliò juvante, Grammaticus est: eadem verò & virtutis & artium



artium est ratio. Verùm negamus tamen, eandem per omnia & virtutis & artium esse rationem: nam quæ ab artibus fiunt, illorum tota perfectio atq; absolutio non ex artifice, sed ex opere ipso, penditur: *Quæ ab artibus gignuntur, perfectionem in se ipsis habent.* lib. 2. Eth. c. 4 (3) §. 6. At in virtutibus non tantùm spectatur, cujusmodi sit actio, sed num is quoq; qui agit, certò modò adfectus agat: *primùm quidem, si sciens, deinde si eligens seu ex proeresi, tertio si stabili adfectu præditus agat.* ibidem §. 8. 9. 10. Nam si à se ipso desciverit, casu, non virtute aliquid boni fecisse videbitur. Itaq; Cicero in Antonium de L. Trebellio loquens, qui cum aliquamdiu bonus civis fuisset, postea se ad Antonium contulerat. *Quis, inquit, est, qui hunc non casu existimet rectè fecisse?* Et de se ipso in Catalinam: *Ita me, inquit, in Republicâ tractabo, ut meminerim semper eorum, quæ gesserim, curemque, ut ea virtute, non casu gesta esse videantur.* Et in septimo ad Atticum in extremò: *Reliqua sic à me aguntur & agentur, ut non committamus, ut ea, quæ gessimus, fortuitò gessisse videamur.* Ideo quoq; Jurisconsulti docent justitiam, non esse brevem ad tempus, sed *perpetuam ac constantem suum cuiq; tribuendi voluntatem.* Porrò in virtutibus exerendis opus est, congregari ac sociari; sed nihil horum de arte requiritur, sed ipsum scire est in iis satis. Ad virtutes verò comparandas scientia parùm vel nihil interest; at verò omnis vis in eo posita est, ut virtutes ex crebrò reperitis actionibus, quales vir justus ac bonus agere solet, acquirantur. Qui verò secus facit, & scientiâ nudâ contentus, nihil agit, is perinde est ac ægroti, qui medicos studiosè audiunt; & verò nihil eorum, quæ ab iis percipiuntur, facere volunt. Quemadmodum verò ejusmodi ægrotis valetudo nunquam eveniet, sic nec istis animus ad virtutis gustum erit adfectus



adfectus. Conf. Arist. ibid. §. 13. usq; ad finem. Igitur non per omnia eadem & virtutis & artium est ratio.

§. 17. Dum explicuimus, quomodo virtutes morales acquirendæ sint; proximum jam est indicare, quid illæ sint. *Quæ in animò existunt, tria sunt, adfectûs, facultates & habitûs: necessariò ex his tribus unum erit virtus.* lib. 2. Eth. c. 5. (4) §. 2. l. 1. m. c. 7. l. 2. Eud. c. 1. Nam virtus moralis est virtus animi, ut suprâ docuimus, & quidem in eo appetitûs sensitivi, qui subjectum inhaesionis, ut vocant, est virtutum moralium. Adfectûs sunt motûs appetitûs sensitivi, quales sunt cupiditas, ira, timor, audacia &c., & ea omnia, quæ comitatur voluptas & dolor in appetitu sensitivò. *Facultates sunt, quibus ad prædictos adfectûs propensi dicimur, ut quarum impulsu, vel ad irascendum, vel ad dolendum, vel miserendum, proclives sumus.* l. 2. Ethic. c. 5. (4) §. 4. Habitûs verò, scilicet in appetitu sensitivò, sunt, quibus bene vel malè in perturbationibus adfecti sumus. Jam virtutes & vitia non sunt adfectûs, neq; facultates, quia primò ex iisdem neq; boni neq; mali dicimur; at ex virtute boni, ex vitiò mali dicimur. Secundò. Ex iisdem neq; laudamur, neq; vituperamur; at ex virtute laudamur, ex vitiò vituperamur. Tertiò adfectûs nobis non deliberantibus suboriuntur; virtutes verò ex deliberatò proficiscuntur. 4tò. Ex virtutibus vel vitiis bene vel malè disponi dicimur; at ex affectibus movemur tantùm. 5tò Facultates nobis insunt à naturâ, sic, ut nihil operæ nostræ ad eas comparandas à nobis conferatur; boni autem & improbi non sumus naturâ. Quod si virtutes neq; adfectûs neq; facultates sunt. relinquitur, ut sint habitûs, & quidem genere, quia habitus de pluribus specie diversis prædicatur in quid, nempe vitiis & virtutibus: hæc enim sunt habitûs. Quicquid verò ita habet, est genus, ut animal &c.

F

§. 18.



§. 18. Non sufficit dicere, virtutem esse habitum, sed requiritur etiam, ostendi, qualis habitus sit. *Virtus in genere est, quâ id, cuius est virtus, bene adfectum redditur, & opus ejus re-ctum & perfectum.* lib. 2. Ethic. c. 6. §. 2. v. gr. virtus oculi oculum ipsum bene adfectum reddit, & eundem aptum ad opus sibi consentaneum explendum, vid. Arist. laudatò locò fusiùs. Cum igitur virtus habitus sit, erit talis habitus, quo homo bene adfectus, seu bonus fiat, & suo munere bene fungatur. In quibus verò consistit talis habitus? Probavimus sapiùs, virtutes versari in actionibus & adfectibus. Jam actiones & adfectus sunt res, quæ continent ac habent & nimium, & parum, & æquale: *ut timere, concupiscere, odisse, aversari, &c. potest quisq; nimium & parum & æqualiter* l. 2. Ethic. c. 6. (§) §. 17. l. 2. Eud. c. 5. & 10. *æquale autem quoddam medium est inter nimium ac parum;* l. 2. Ethic. c. 6. §. 8. In quibus verò plus, minus, & medium est, in iis per plus & minus malè disponimur, & inepti reddimur ad munus nostrum; è contrariò per medium bene disponimur, & apti muneri nostro faciendo reddimur. Idq; primò inductione certum: si enim ars, quando medium spectat, bene opus suum exequitur, multò magis virtus, quæ arte melior est; nam *ars imitatur naturam* lib. 2. Phys. c. 3. *At virtus natura perfectio est* vid. Eustrat. comment. in lib. 2. Ethic. c. 6. §. 15. Secundò ulteriori patet probatione: ex iisdè nempe actionibus & adfectibus virtutes morales & generantur & corrumpuntur, ut suprà dictum, jam corrumpuntur per plus & minus, Ergo generantur per medium in illis, aut detur aliud, quod non sit neq; medium, neq; plus, neq; minus in illis. Cum igitur virtus sit talis habitus, quo homo bene disponatur, & ad munus suum aptus reddatur; & verò virtus versetur in iis, in quibus per medium homo bene disponatur: evidens est, quòd sit habitus consistens in mediò.

§. 19.



§. 19. Medium verò est duplex, aliud rei est, aliud quoad nos. Medium rei est, quod equaliter abest ab utroq; extremo, quod quidem unum idemq; est omnibus l. 2. Ethic. c. 6. §. 9. Medium ad nos est id, quod nec est supra id, quod oportet, neq; infra. Hoc autem neq; unum est, neq; idem omnibus, ibid §. 10. Sic duo inter unum & tria medium est semper, estq; medium rei. At decem libras carnis comedere, est medium in cibò capiendo, verùm id non omnibus idem erit, Miloni fortè medium erit; at ei, qui primùm incipit exerceri, nimium. Hic, quod in Ethicis observandum, est medium quòad nos, ubi ad circumstantias, quibus circumscribimur, respiciendū. Neq; enim virtus à suis extremis æqualiter distat, sed interdum cum hòc, interdum cum illo extremò majorem habet cognationem. Porrò in virtutis exercitiò, ad tempus, locum, finem, medium &c. semper respiciendum est, quod observare, non parum habet difficultatis. Est igitur virtus moralis *habitus proæreticus in mediocritate consistens, illà scilicet, quæ ad nos est, secundum rectam rationem projudiciò viri prudentis* lib. 2. Ethic. c. 6. §. 26. l. 1. Rhet. c. 9. l. 2. m. m. c. 7. Dicitur virtus mediocritas respectu duorum vitiorum, unius, quod ex nimio, alterius, quod ex eo, quod parum est, nascitur. *Verùm non omnis actio, neq; omnis perturbatio medium recipit, sunt enim quedam, quorum nominibus statim vitium est implicatum: ut malevolentia, latans alieno malo, impudentia, invidentia: Et in actionibus furtum, adulterium, cades.* lib. 2. Ethic. c. 6. §. 30. Hæc enim sunt extrema, in extremis verò non est medium, prout in mediò non est extremum, non nimium non parum. *Nonnulli adfectus, nonnullæq; actiones admittere mediocritatem non possunt, sed statim in nomine ipso pravitatem præferunt.* Eustr. comm. in lib. 2. Ethic. c. 6. §. 30. Unde verò noscere possumus, hæc atq; illa esse extrema? Ex eo, quòd



illorum medium ostendi possit, v. gr. impudentiæ medium est verecundia, ignaviæ fortitudo. Quicquid habet medium, id sit oportet extremum, & ipsâ naturâ malum.

§. 20. Ceterum, quia negotium hoc est actionis gratiâ, & *actiones versantur in singularibus* l. 2. Ethic. c. 7. §. 9. procedemus ad singulas virtutes, ut ex iis enotescat, quod universè dictum, nempe virtutem esse medium, vitia esse illius mediæ extrema. Fortitudo est virtus, & est medium circa metum & fiduciam; Extrema hujus mediæ sunt, & quidem in excessu audacia, in defectu ignavia. In voluptatibus & doloribus, gustum & tactum afficientibus, medium est temperantia. Extremum in excessu est intemperantia; extremum in defectu, quia rarò reperitur, nomen non habet, dici tamen potest *ἀναισθησία*, i. e. stupor sensuum. In dandis & accipiendis pecuniis medium est liberalitas; extremum in excessu profusio, in defectu illiberalitas seu avaritia. Quod si opes splendidae sunt, nam liberalitas versatur in minoribus, medium in iis est magnificentia; extremum in excessu luxus insolens: in defectu sordida parsimonia in magnis opibus. In honoribus magnis & infamiâ, medium est magnanimitas; nimium fastus, parum pusillanimitas. In paucis honoribus medium est modestia, nimium ambitio, parum honorum contemptus. Circa iram medium est mansuetudo; excessus iracundia, defectus totalis iræ vacuitas, seu lentitudo.

§. 21. Sunt præterea aliæ mediocritates, quas vulgò vocant virtutes homileticas, illarum tres sunt, quæ, utut magnâ se contingant ad finitatem, tamen differunt. Ejusmodi sunt veritas, comitas, amicitia. Quæ conveniunt, quòd *omnes versantur circa communionem verborum & actuum*, docente Philo-  
sopho



sophò lib.2.Ethic.c.7. §.18. differunt postea, quòd quælibet est circa propriam materiam, quæ est triplex, unde tres sunt distinctæ mediocritates seu virtutes, quarum prima est circa verum in verbis, quæ seriò dicuntur, & dicitur veritas; extrema verò uno nomine possunt vocari *fiectio*, quæ si est excessus arrogantia dicitur; si defectus, dissimulatio. Alia mediocritas est circa jucundum, quod est in verbis, quibus in conversatione jucundâ uti solemus. Talis mediocritas vocatur comitas; excessus verò scurrilitas; defectus rusticitas. Tertia est mediocritas circa jucundum reliquum, quod est in ceteris actibus conversandi, hæc dicitur amicitia; non illa verò est amicitia, quæ talis propriè & verè est; sed est quasi quædam apta & jucunda affabilitas. Excessus dicitur assentatio, qui hòc vitiò laborant, dicuntur charitonii, si proprium spectatur commodum, adulatio; defectus verò morositas, conf. Aristot. l.2. Ethic. c.7. à §.17. usq; ad 24.

§. 22. Tandem in perturbationibus, iisq; rebus, quæ ad perturbationes pertinent, mediocritates insunt lib.2. Ethic. c.7. §.24. quales sunt verecundia & indignatio. Tales quidem non sunt propriè virtutes morales, quemadmodum nec illarum excessus & defectus propriè vitia sunt. Equidem verecundia & indignatio sunt rectæ dispositiones, sed solùm circa adfectus consistunt, non verò actionibus cernuntur; *at virtus propriè non circa adfectus solos, sed circa actiones quoq; versatur, ut fortitudo circa timores & fiducias consistens, qui adfectus sunt, incertando & agendo conspicitur.* Eustrat. comment. in lib.2. Ethic. c.7. §.24. Interim & hæc mediocritates induci debent, ut patescat, quòd omnis mediocritas sit laudanda. Eo fine & Aristoteles has enumerasse mediocritates, docet Acciajulus comment. in l.2. Eth. c.7 n.49. Verecundia, quæ laude digna est, est *mediocritas in adfectibus*, teste Acciajolò præd. l. Excessus verò in iisdem dicitur



paviditas; defectus impudentia. Indignatio, quæ etiam nemesis dicitur, est *mediocritas inter invidentiam & malevolentiam, malis alienis letantem, interjecta* l. 2. Ethic. c. 7. §. 26. l. I. m. m. c. 28. Nam, qui indignatur, dolet eorum rebus secundis, qui eis indigni sunt. Invidus, qui in excessu peccat, omnibus rebus secundis aliorum dolet. Malevolus alienis malis letans, non solum non ex alienis incommodis dolorem capit, sed & iisdem se oblectat. Invidentia Ciceroni in Tusculanis est *agritudo suscepta propter alienas res secundas, quæ non nocent invidenti*. Malevolentia voluptas est ex malò alterius.

§. 23. Quum tres sint adfectuum dispositiones, quarum duæ sunt vitia, quorum alterum in excessu, alterum in defectu consistit; tertia autem est virtus, quæ est mediocritas; noscendum venit, quomodo inter se pugnent hæ tres dispositiones. Virtus in oppositione bifariam considerari potest, vel ut bonum, vel ut mediocritas, si virtus, opponitur ut bonum, erunt ejus oppositum extrema simul sumta, tanquam malum considerata, & sic maximè virtus & vitia sibi opponuntur. Si verò virtus ut mediocritas opponitur, & sic erunt oppositum extrema disjunctim sumta, ex unâ parte excessus, ex alterâ defectus: medium enim non solum nimio, sed & parvo opponitur. Quando verò mediocritas seorsum cum altero extremorum comparatur, tunc quasi vicem obit alterius extremi. Quæ admodum si æquale cum eo, quod minus est, comparatur, tum quasi majus est; si cum majori, tum quasi minus: sic mediocritas seu habitus medii, si cum eo, quod excedit, comparatur, deficit quasi & contrà. Fortis enim ad ignavum quasi excedit, & est audax; ad audacem verò quasi deficit, & est timidus. Cum quibus oppidò congruunt, quæ habet Aristot. l. 2. Ethic. c. 8. à §. 2. usq; in 6. Unde fit, ut ignavus fortem dicat audacem, audax verò eundem ignavum.

§. 24.



§. 24. Quæritur verò, an extrema medio magis opponantur, an extremum extremo magis? Ambiguum nemini est, extremum extremo magis esse adversum, quàm medio: quia extrema magis abinvicem distant, quàm à mediò: nam nimium, quale est unum extremum, longiùs distat à parvò, quàm ab eo, quod inter hæc est medium. Deinde cum mediò quibusdam extremis similitudo quædam intercedit, verbigrat: audaciæ similitudo est cum fortitudine, profusioni cum liberalitate; sed extrema se nunquàm similitudine cõtingunt, sed potius *extremis*, ut docet Philosophus, *inter se maxima est dissimilitudo*. lib. 2. Eth. c. 8. §. 8.

§. 25. Utut extrema medio semper opponantur, non tamẽ eidem opponuntur æqualiter, sed interdum magis medio opponitur excessus, interdum defectus. Quodcunq; extremum magis dissimile est medio, id magis quoq; eidem adversatur: nam sic album magis dissimile est à nigro, quàm fuscum, igitur album magis est contrarium nigro, quàm fuscum. Jam verò interdum excessus interdum defectus magis dissimilis est medio: nam fortitudini dissimilior est ignavia defectus, quàm excessus audacia, hinc Philosophus. *Fortitudini similior videtur audacia, dissimilior ignavia*. l. 2. Ethic. c. 8. §. 11. Et temperantiæ dissimilior est excessus intemperantia, quàm defectus, stupor sensuum, quod testatur Philosophus dict. l. §. 10. item l. 2. Eud. c. 5. l. 1. m. m. c. 9. Hæc ratio petita est ex ipsâ re, alteram, quæ sequitur, petemus à nobis ipsis. Ea extrema magis contraria sunt medio, ad quæ sumus procliviores, *nam quæ nobis*, docet Eustratius, *eadem virtuti magis adversantur*. Quemadmodum & corpori magis contrarii sunt morbi, ad quos scilicet corpus magis est proclive. Jam ad quædam extrema magis naturâ proclives ferimur, ad quædam minus. Sic natura nos ad voluptates

sectans



sectandas finxit procliviores, quàm averfandas: hinc ad intemperatiam fumus proniores, quàm ad ftuporem fenfuum. Hinc etiã intemperantia, tanquàm excessus, magis contraria eft mediocritati, nempe temperantiã, quàm ftupor fenfuum, qui eft defectus. Adeoq; extrema medio non æqualiter opponuntur.

§. 26. Quia verò virtus moralis eft medium, & verò medium invenire difficillimum, prout ex circulò, in quo medium quæritur, evidens eft: igitur necesse eft, ut indicetur, quomodo medium inveniatur. De hõc mediò inveniendò Aristoteles quatuor pulcherrima produxit documenta. Primum eft: *Ab illo, quod magis eft contrarium, longiffimè eft recedendum.* l. 2. Ethic. c. 9. §. 5. Sicut Calypfo, vel ut ex Hom. l. 12. patet, Circe monet Ulyffem, ut, iter factur⁹ inter duos scopulos, Scyllam & Charybdim, magis fe flecteret ad Scyllam, quàm Charybdim, quia à charybdi majus periculum metuendum: nam fi ad charybdim accederet, omnes focios amiffurus effet, fed fi ad scyllam, tantùm sex. Secundum eft: *Ab eo extremo, ad quod magis propendemus, tendendum eft in contrariam partem.* l. 2. Eth. c. 9. §. 7. Sic, qui diftorta ligna in rectitudinem deducere volunt, eadem in contrarium flectunt, & fic eadem faciunt recta. Ex voluptate verò indicinam petere poffumus, num ad aliquod vitium procliviores fimus. Tertium eft: *In omni negotiò jucundum, & quod voluptatem adfert, omni ftudiò vitandum eft.* l. 2. Eth. c. 9. §. 9. Sic nos oportet effe animatos erga voluptatem, ut illi Proceres Trojanorum ergo Helenam, conf. Homerus l. 3. Iliad; Hi enim Helenam remittendam effe judicârunt, ne Trojanis fuã noceret pulchritudine. *Quartum deniq; eft, fi attingere medium nequeamus, cum fit difficillimum, à mediò tamen parùm declinandum eft: nam qui à perfectione paululum defleat, non vituperatur, fed tantùm, qui longiùs.* l. 2. Eth. c. 9. §. 16. Et hæc fufficiant!

Soli DEO Gloria!



Lp 329  
8

1000

200











B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

12

UNDECIMA  
REMA-  
TICORUM,

*bens*  
ac ultimam de

genere,

DEO,

missu  
phicæ Facultatis,

REGIOMONTANA,

mini sistunt,

SES

GÖRGIUS à Göttingen /

Philosoph. D.

VDENS

CUS Menf

Borusf.

ocô horisq; consuetis

1673.

MONTI,

CI REUSNERI.